

quorum quædam superstes lingua famæ annuntiabat nobis, quædam verò taciturnitas invida sepulcro condidit oblivionis. Plura etiam signa *B. Mainulfus* potestate habuit, quæ actu minimè protulit. Potestatem autem modò non dixi secundùm dialecticam, sed juxta vocem Domini, dicentis: *quod omnia possibilia sint credenti*. Si beatus Domino indubitanter credidit; quidlibet agendi potestatem habuit: atqui credidit, potestatem igitur quidlibet agendi habuit. Domino enim indubitanter credere, est mandata ejus fideliter adimplere; consequens est, ut hic Domino videatur adhærere. *Qui autem adhæret Domino, unus Spiritus efficitur*. Semper enim desideravit, desideratumque promeruit *B. Mainulfus*, ut cum Creatore efficeretur unus spiritus; sed creatori aliquid esse impossibile, nemo vel insanus præsumit credere. Hic vero ordinatim consequitur, ut hujus possibilitatis non careat participio, qui unus spiritus fieri meretur cum Domino. Quapropter si *B. Mainulfus*, unus spiritus cum Domino fieri promeruit, signa etiam operari potuit: Sed meruit unus spiritus cum Domino fieri; potuit igitur signa operari. Cujus conclusionis necessitas nobis discutit apertè, ut non egeat quæstione, si vel pauca, vel omnino nulla signa fecerit; dummodo ei signorum potestas non abfuit. Et profectui quidem animæ nostræ salubrius essent merita ejus, moresque, & virtutes, quàm signa cognoscere; ad quarum videlicet exemplar formaremus modum & ordinem vitæ nostræ. Sed quia meritis ejus carnaliter viventis, nos præ-

sentes